

odium negligentiae Judicum, sequitur quod si litis expeditio ex alia causa differatur, non sit locus dispositioni Concilii, ideo si differatur ob gravitatem, & qualitatem causae, vel partium cavillationes, ut contingit ut plurimum, tunc elapso biennio, nec Judicis negligentia notatur, nec intrat appellatio, ut per Sacram Congregationem fuisse declaratum refert *Fran. Loothesaur. for. Eccl. p. 2. c. 1. num. 72. in fine*, *Barbosa de pot. Epif. alleg. 81. num. 9.*, in quo casu, cum negligentia non praesumatur, ideo de ea debet constare, ut infra dicam.

23 In causis vero non Ecclesiasticis tempus taxatum est, in Civilibus, triennium in Criminalibus biennium, *L. properandum §. si autem utraque C. de Jud. Scacc. de Jud. lib. 2. c. 2. num. 675.*, cui termino partes renunciare non posse prorogando jurisdictionem ultra triennium, tum quia principaliter in favorem publicum, tum quia per legem generalem taxatum est, cui partes renunciare, aut derogare non posse, satis eruditè, *Petrus Barbosa ad l. 1. art. 2. nu. 59. ff. de Jud. Antonell. de tempore leg. l. 4. c. 25. nu. 20.*, in quo casu, ne instantia pereat, & Judicis negligentiae imputetur, *Pax. Jord. var. lucubr. vol. 3. lib. 13. tit. 5. n. 17.*, notat remedium, scilicet, quod urgente termino instantiae causae, nec judici constat sufficienter de meritis in jure, vel in facto, notarium causae accersere debet, & in ejus manibus jurare, quod sibi non liquet de justitia causae, deinde sententiam ferre, per quam absolvat reum ab observatione Judicii, expressa dicta causa, quod sibi non liquet de meritis causae, servando utrique parti integra jura in alio iudicio.

24 Si vero in jure, aut Statuto, non sit tempus aliquod determinatum, tunc Judex debet procedere, quamprimum potest, alias dicitur negligens ad tradita per *Amed. Par. de Puteo locis allegatis per Farinac. prax. crim. q. III. num. 433.*

25 Quod autem diximus partes renunciare non posse termino causae; Non valet in causis Ecclesiasticis in foro Episcopali tractatis, si Judex negligat expedire causam infra biennium adhuc post elapsam terminum, si partes procedant, valent acta processus, quia de jure Canonico instantia est perpetua, *c. Venerabilis de Iudiciis, Scacc. de Jud.*

*lib. 2. c. 2. num. 687.*, ut per *c. 20. Trid. sess. 24.* Canones de perpetuitate instantiae non abrogantur, ita biennium in eo c. 20. non instantiae, sed causae praefigi, juxta allata per *Barbos. in adnot. ad d. c. 20. Trid. sess. 24. nu. 11.*

26 Conceditur ergo in eo c. 20. solum facultas partibus elapso biennio ob negligentiam Judicis, non finita causa, ut possint appellare. *Scacc. de Jud. lib. 1. c. 66. num. 12.*

27 Quapropter ob negligentiam Episcopi, jurisdictione devolvitur ad Archiepiscopum, *c. cum simus §. q. 2. c. 1. §. notoria de cens. in 6. Felin. in c. pastoralis num. 6. de off. ordin. Genuens. in prax. Archiep. Neapol. c. 88. num. 3. V. quarto per negligentiam Episcopi, Barbosa in c. Pastoralis I. num. 8. de off. ordin. & depo. Episcopop. I. tit. 4. n. 19. & alleg. 126. per totum, quod tamen intelligas juxta ea quae notavimus par. I. art. 15. ubi de supplenda negligentia Praelat.*

Quae diximus de Judice differente expeditionem causae incurere negligentiae notam & devolvi causam ad Archiepiscopum.

28 Limita primo, si pars non deduxerit causam ad terminos sententiae, quia parte deficiente, Judex non fit negligens, tunc enim non stat per Judicem, sed per partem, quae non complevit, nec sollicitavit processum, *c. inter quatuor in fin. de major. & obed. & quia Jus non subvenit dormientibus, aut negligentibus, l. non enim negligentibus ff. ex quibus causis mayo. 25. ann. l. si pupillus in fine ff. de iis, quae in fraudem creditor. sunt, Paris de Synd. V. negligentia num. 2. 3. 4.*

29 Limita secundo, si dilatio causaretur ob multitudinem causarum, quia tunc iusta habet excusationis causam, ut dixi supra.

30 Limita tertio, si non constaret sufficienter in actis de justitia causae, ut supra pariter dictum est.

31 Limita quarto, si Judex non fuerit interpellatus, ideo in *Trid. sess. 24. c. 20.*, dicitur quod legati, aut Nuntii non audeant se interponere in causis Ecclesiasticis, nisi Episcopo prius requisiti, quia eo requisito, & negligente, tunc poterunt procedere, tunc etiam quia parte prima latius probavimus ad constituendum quem in mora, & negligentia, ubi dies non est certa, & determinate appositae, semper requiritur interpellatio, tum etiam quia dictum est supra, quod volentibus etiam elapso biennio acta valent

valent, ut igitur constet de voluntate partium debent judicem interpellare.

32 Ratio est quia non praesumitur stare per Judicem, nisi fiat sibi protestatio, alioquin pro Judice praesumitur *l. 2. c. de off. Civil. Jud. Bald. in l. pacta justissima C. de pactis; Gramat. Conf. crim. 54. num. 3. 7.*, ubi *num. 4.*, quod agere contra Judicem de negligentia, dicitur scrupulosa inquisitio, & sic debet apparere, quod fuerit requisitus, & neglexerit justitiam facere, ut notat *Archid. in c. 1. de jur. jur. & Bartol. in l. damni §. Sabini ff. de damno infecto num. 8. in fine, & num. 9. Trulench. summa tom. 2. in exposit. decalogi lib. 7. c. 12. dub. 3. num. 16. in fin. Pax Jord. var. lucubr. vol. 3. tit. 5. de off. Jud. num. 35. 36. & tangit Vantius de nullit. ex defectu Jurisd. ordin. nu. 116.*

33 Limita quinto, nisi haec requisitio judicialiter fieret, & Judice pro tribunali sedente ut est *tex. expressus in l. dies cautioni §. hoc autem Iudicium ff. de damno infecto, Farinac. prax. crim. q. III. num. 429.*

34 Immo quando in jure non est praefixus terminus ad aliquid agendum, debet per Superiorem ei statui tempus, intra quod causam expediat, & sic debet ei assignari terminus, quo elapso, tunc de negligentia convincitur. *Barbos. depotest. Epif. p. 1. tit. 4. nu. 19. Lambertin. de jur. patron. lib. 1. p. 2. art. 20. num. 17. fol. 284.*, quod tamen limita primo in casibus, in quibus tempus a jure est praefixum. *Abb. in c. n. 8. 12. de concess. preb. limita secundo quando superior, qui habet supplere negligentiam Judicis, habeat intentionem fundatam, quo ad Jurisdictionem super personam ad se confugientem, ut esset Legatus in sua Provincia, Episcopus in sua Diocesi; quia tunc poterit, vel terminum praefigere, vel actum explicare, quia pluribus modis convincitur Judex de negligentia, id est non solum per praefixionem termini, sed per multiplices instantias, & interpellationes, *Seraphin. decis. 455. num. 5.*, Ubi vero non habeat intentionem fundatam, ut Archiepiscopus in Diocesi-bus suffraganeorum, de quo loquitur *Barbosa, & alii per eum allegati*, tunc Superior aditus debet praefigere terminum, ut dixi, quia tunc difficilius jurisdictione devolvitur, *Lambert. de Iure Patro. lib. 1. p. 2. q. 1. art. 20. num. 22.*, *Quaranta Summa Bullar. Verf.**

*Archiepiscopi num. 21. ante medium, alique plures allegati per Barbosam ad Trid. sess. 24. c. 20. num. 15. 16. Trulench. summa tom. 2. lib. 7. c. 13. dub. 3. num. 16.*

35 Limita sexto, in casu quo contumax quis esset in obediendo legi, aut decreto, aut precepto Judicis, quia potest Judex denegare ei audientiam, donec obediat: *arg. in c. ex litteris de constit. notat Carleval. lib. 1. tit. 1. d. 2. q. 1. sub num. 22. & tit. 3. d. 3. nu. 30.*

Sed non levis difficultas est, quot interpellationes, & requisitiones requirantur, ut Judex dicatur negligens, an scilicet una sufficiat interpellatio, vel plures requirantur.

36 In qua difficultate *Gramatic. voto 31. num. 13.*, & post eum *Barbosa de potest. Episcopi alleg. 31. num. 9. ad finem*, dicit plures requiri interpellationes, in actis per partes factas, ut constet non stare per ipsas, sed per Judicem, immo consulit, ut dictae protestationes fiant instanter, & instantissime, immo tres requiri interpellationes, & protestationes, late pluribus hinc inde allegatis, firmat *Aloys Ricc. decis. Archi. Neapol. p. 4. decis. 120. num. 6. & seqq.*, eo quia pars debet summa ope niti, ut intra tempus debitum causa terminetur, *juxta tex. in l. fin. §. illud C. de tempor. & repar. appel.*, ut ergo verificetur, quod summa ope nittatur, debet pluries Judicem requirere, tum etiam, quia eadem l. dicitur debere evidentissime constare per partem non itentisse, non poterit autem evidentissime constare, nisi pluries, & pluries partes requirant instanter, instantius, instantissime Judicem, & sic per trinam interpellationem Judicem constitui in mora, & negligentia; *Seraphin. decis. 455. num. 4. Gail. lib. 1. practicar. observat. observ. 28. num. 5.*

37 Huic sententiae favet *tex. in c. 1. de supplenda neglig. prael.*, ubi dicitur, quod si Episcopus tertio cum humilitate requisitus Abbatibus benedicere negligat, atamen Abbas benedicere poterit Monachos, & c. *Administratores*, ibi post secundam, & tertiam admonitionem negligere inventi fuerint *23. q. 5. Federic. Imp. in Auth. statuimus C. de Episc. & cleric.*, ibi, tertio requisitus, cui etiam concordat *tex. in c. si quis erga Episcopum, vel Auctores Ecclesiae quamlibet querellam justam se habere crediderit, non prius*

prius primates, aut alios Judices adeat, quam ipsos, à quibus se læsum existimat, conveniat non semel, sed sepius, ubi *glos. by sepius*, idest *ter.*, & facit *tex. in l. si convenerit ff. de pignor. action.*, & subscribunt *Oscob. decis. Pedemont. 12. num. 6. 7.*, *Felin. in c. proposuisti V. limita etiam, de foro compet.*

38 Præterea istæ interpellationes, & requisitiones, non simul eadem die, quasi una pro pluribus, sed distinctis, & successivis temporibus sunt faciendæ, alioquin pro unica haberentur, *Ancharan. in c. Statuimus num. 1. de suppl. neglig. Prælat.*

39 Limita hoc dictum Ancharani in casu quo quis petit Apostolos, in quo casu sufficit, quod simul unico contextu per appellantem instanter, ac sepius postulentur, *Clem. quamvis rigor de appellat.*, ubi enim specialiter æquitas servetur, relaxato juris rigore.

40 Limitant etiam dictum, si Judex in prima requisitione denegaret expressè justitiã facere, quo casu, illa unica requisitio sufficit *Ancharan. d. c. Statutum num. 1.*

41 Faciet, & *Statutum Ferrarie lib. 2. rub. 63.*, virtute cuius, instantia perit culpa Judicis postquam pars ten insteterit pro causæ expeditione, ex quibus sequitur, quod tunc tantum appellatur à denegata justitia, quando processit trina requisitio congruis locis, & tempore facta, & Judex omittat facere justitiam, *Scaccia de Appellat. q. 17. nu. 46. Io. And. in c. delicto 63. de Appellat.*

42 Alteram verò sententiam, scilicet quod una sufficiat interpellatio, seu petitio, ad hoc, ut non per partem, sed per Judicis negligentiam stetisse dicatur, & devolvatur jurisdictio, tenuerunt *Paris. in tract. de Synd. in Vers. dicitur constitutio Regni Scicilie fol. mibi 143. num. 3. ab fin.*, & *Bartol. Ludovic. Roman. & Imola per tex. in l. Titia Seio 83. §. Usuras ff. de leg. 2.*, & favet *tex. in Clem. quamvis rigor de appellat.*, ubi quod, sepe quidem instandum est, ac unico contextu, at quæ unico contextu sunt pro unico actu habentur, & plurificantur nisi verba, ut notat *glos. in c. Lotharius in Vers. Appellavit 31. quæst. 2.*, & *Zabarella in dicta clem. quamvis rigor num. 3.*

43 Solutio tamen hujus difficultatis, non una regula compendiosè dari potest, eo quia diversæ sunt juris dispositiones ad casuum

diversitatem, & idè videnda sunt, quæ distinctè limitando, seu adnotando fallentias regulæ dixi p. 1., quæ hic non repeto.

44 Dicta usquẽmodo, scilicet Judicem, non condemnari de negligentia, nisi elapso tempore sibi in jure constituto biennii, vel triennii, & nisi præcesserint interpellationes modo supradictõ; intelligenda sunt per respectum ad forum externum, nam quoad forum conscientia quotiescunq; per Judicem stat, semper Judex incurrit negligentia culpam; Quare si primo anno causã sit sufficienter instructa, & per solum Judicem stet, quin expediatur, Judex peccat, & quidem graviter, juxta gravitatem causæ, quia tempus in jure determinatum est, ad cogendum Judicem, & ad constituendum illum in mora in foro externo, in conscientia ergo tenetur statim accausa, est instructa, *c. finem litibus, de dolo, & contum. c. jurantium de sent. & rejud.*

45 Altera non levis difficultas est, an Judex teneatur supplere, tam de jure, quam de facto, alioquin non supplendo negligentia notam incurrat.

Et videtur dicendum, non teneri, tum quia tenetur solum judicare secundum allegata, & probata, *l. illicitas §. veritas ff. de off. presid.*, & est communis sententia, tam juristarum, quam Theologorum, ut videri potest *Bald. in præsul. decretal., Felin. in c. pastoralis §. quia verò num. 23. de off. delegati, speculator lib. 2. p. 2. tit. de sent. §. 1. num. 1.*, *Roderic. Suarez. concl. crim. 98.*, *Lessus de Just. & Jur. lib. 2. c. 28. dub. 10.*, unde si pars non allegat, vel non probet, debet sibi imputare, & non Judici.

46 Tum quia non supplendo, non dicitur denegare justitiam, sed non juvare, aliud autem est, denegare justitiam, sed non juvare, *l. Invidia ff. de just. & iure.*

47 Tum quia Judex non impertitur officium suum non petenti, *l. 4. §. hoc autem iudicium, ubi latè Bartol. ff. de danno infecto*, si autem Judex teneretur supplere, impertiretur officium suum non petenti; idest ultra petita, *Vroius com. opin. 418. num. 1.*, *Villalob. in com. opin. littera A. nu. 108.* Ideoque Judex non potest supplere non requisitus, *Magon. decis. luceni 99. num. 10.*, *Leoncil. decis. Ferrar. 36. nu. 4.*, *Farinac. fragm. crim. p. 2. littera I. in Vers. Judex num. 348.*, alioquin favoreceret parti, & faceret litem suã

Budeus

*Budeus in l. fin. ff. de edilit. edicto*, & supplendo posset recusari, ut suspectus. *Aufreer. trac. de recusationibus num. 22. in vol. 8. fol. mibi 133.*

48 Tum quia sententia debet esse conformis libello, *l. ut fundus ff. com. divid.*, alioquin Judex excederet suam potestatem, & factus dicitur, qui ultra petita pronuntiat, ad tradita per *Leoncil. Decis. Ferrar. 36. nu. 6. 7. 8.*

49 Tum quia *in c. Judicet ille 3. q. 7. habemus*, quod Judex tenetur judicare, sicut audit, nihil paratum, & meditatam domo defert, examinat causã merita, sed non mutat, supplendo autem mutaret, & deferret aliquid domo meditatam, ut explicat *glos. in eo c. judicet.*

50 Verum, ut certa distinguamus ab incertis, certum est Judicem teneri supplere de jure, *l. 1. C.*, ut quæ defunt advocatis partium judex suppleat, & eleganter explicat, ibi *Bartol. Paul. de Castro num. 1.*, *Salicet. Bald.*, qui omnes resolvunt, obiecta valere in facto, idest, quod Judex non teneatur supplere defacto, secus in jure, *Barbosa in c. Judicis num. 3. §. ff. judic.*, idè quæ Judex debet jura inquirere diligenter, etiam si non allegata ab advocatis, eaque allegare, & secundum ea justum iudicium judicare, alioquin, non supplendo, non faceret, quæ ad suum officium spectant, & notam incurreret negligentia, quam sententiam, etiam tenet *glos. in c. bona, in Vers. curavimus allegare de postulat.*, & in hoc non video contradictionem, de hoc intrat illud, quod Judex debeat cuncta rimari, *Vroius Commun. opin. 30. num. 27.*

51 Quod ergo tamquam incertum controversitur, est num Judex suppleat defacto, & ita teneatur, ut non supplendo dicatur negligens, & constituitur regula negativa, quod scilicet, non teneatur supplere defacto, sed partes debent sibi imputare, si non deduxerint, aut probaverint, quæ probare, aut deducere poterant, aut debeant, aut non proposuerint exceptiones in facto, sibi competentes, & ad hanc regulam firmandam communiter assertur *l. 1. C. ut que desunt advoc. part.*, ibique D.D. supra allegati, & faciunt omnes rationes dubitandi adnotatæ in principio hujus difficultatis; Immo nec posse supplere, aliàs videtur assumere partes advocati, & non Judicis, aliàs

posset recusari, ut suspectus, *Cravet. conf. 134. n. 1.*, *Scacc. de jud. lib. 2. c. 7. nu. 34.*

52 Regula tamen plures patitur fallentias, quas assert *Ancharan. in c. bone mem. il. p. de postul. prælat.*, *Bartol. in l. 4. §. hoc autem iudicium ff. de damn. infecto*, & in *l. 1. C. ut que de sunt advoc.*, ibique *Bald. Paul. de Castro, Salicet.*, & trigintaquinque, fallentias describit, *Bartol. Soccin. in collectanea reg. juris in Vers. Judex petitus reg. 23.*, *Aloys. Riccius collect. decis. p. 4. collect. 1019.*, *Farinac. rept. Judiciali q. 76.*, *Pax. Jordan. divers. elucubr. tom. 3. tit. de off. Judic. num. 37.*, & *seqq.*, *Speculator lib. 2. partiula 2. de disput.*, & *allegat. advocator §. 6. num. 5.*, & *seqq.*, *Carleval. de Jud. lib. 1. tit. 2. d. 4. num. 24.*, & *seqq.*, apud quos videas, & exactè noveris, quando Judex non supplendo defacto, negligens sit; ego enim eorum dicta in casum non transcribenda putavi, & solum principales aliquas fallentias referam, ne videar materiam sicco vestigio transiisse.

53 Fallit primò, favore publicæ utilitatis, *l. congruit ff. de officio presid.*, quia semper, ubi agitur de utilitate publica, Judex tenetur supplere factò, de quò latè plura dicit *Bartol. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium ff. de danno infecto Jordan. supra num. 37.*, *Ancharan. in c. bone nu. 1. de postul. prælat.*, *Farinac. fragm. crim. p. 2. Vers. Judex num. 345.*

54 Fallit secundo, in causa pia, de qua est, *tex. in l. ne quicquam §. ultim. vers. plerumque ff. de off. proconsul.*, *Tiraquel. de privil. causæ pie, privil. 152.*, sic favore Ecclesiæ, *Farinac. fragm. criminal. p. 2. Vers. Judex num. 357.*, & *364.*, *Leoncil. decis. Ferrar. 36. num. 5.*

55 Fallit tertio, in causis matrimonialibus, & beneficialibus, *Sanchez. de Matrim. lib. 7. d. 113. num. 24.*, ut si probabilis conjectura sit quod consanguinei, vel affines in gradu prohibito, contrahant, potest, & debet Judex ex officio impedire, ne contrahant Matrimonium, *c. cum si inhibito de cland. desp.*, *Farinac. fragm. crim. p. 2. Vers. Judex num. 354.*

56 Fallit quarto, ubi urgeret animarum periculum *c. ad nostram de Jure Juran.*, *Ancharan. in c. bone mem. il. 1. de postul. prælat.*, *Sanchez. supra num. 27.*, *Rodolphin. in sua praxi judiciali. p. 3. c. 1. num. 82.*, *Specul. lib. 2. part. 2. tit. de disput.*, & *allegat. advoc. num. 6. in fine*, qua propter in electione Pastoris, seu in confirmatione electi, confirmator

Qq

multa